

Johannes Assuerus Ampzing

Programma In Passionem Veri Messiae Domini nostri Jesu Christi

Rostochii: Pedanus, 1621

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73458847X>

Druck Freier  Zugang



RU Progr. 1621

- 1) Progr. in recitationem legum. Joh. Arvenus
- 2) " in passionem J. C. "
- 3) Lithard Lubinus
4. Proz in introduct. Simon Todemann

Programma
IN
PASSIONEM
VERI MESSIÆ
Domini nostri
JESU CHRISTI.



ROSTOCHII
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.

ANNO

M. DC. XXI.

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
JOANNES ASSVERUS
Amplius Transilvanus, Med. D. & Prof.



Entium ille Doctor Paulus, (uis Corinthijs scribens, 1. Corinth. 5. gravissimè eos ad vitæ sanctimoniam hortatur, sumptâ occasione ab eo qui patris sui uxorem habebat. Hunc removeri ab Ecclesiâ jubet, ne instar fermenti totam Ecclesiæ massam corrumpat. Cur autem vitæ sanctimoniam vigere oporteat in Ecclesiâ Christianâ, hanc causam adducit: Quòd Pascha nostrum immolatus sit Christus. Est firma Demonstratio, Effectus per Causam, & rursus Causa per Effectum. Estq; propositio convertibilis. Omnis qui Christi in arâ crucis immolati sanguine est redemptus: ille homine Christiano dignam colit vitæ sanctimoniam. Et vice versâ. Omnis qui colit vitæ sanctimoniam homine Christiano dignam: ille Christi in arâ crucis immolati sanguine est redemptus. Ex negativè. Quisquis non est Christi sanguine redemptus: ille nec sanctimoniam colit Christiano dignam. Et vicissim. Quisquis non colit sanctimoniam Christiano dignam: ille nec Christi sanguine est redemptus. Sed jurat ipsa Paulini textus verba adscribere ad penitus rimandam Passionis Dominicæ mysterium.

Non est bona, inquit, gloriatio vestra. An nescitis quia modicum fermentum, totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut istis azymi.
Etenim

Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaq; epale-
mur non in fermento veteri, neq; in fermento malitia & ne-
quicia, sed in azymis sinceritatis & veritatis.

Pascha **NOSTRUM**, inquit, ad differentiam Pascha-
tos & Agni Paschalis in Veteri Testamento, cujus Historia
describitur Exod. 12. & longior est quam ut hic adscribi tota
possit aut debeat. Erat autem Agnus ille ἀρνίον, seu ἀρ-
νίον Christi in arâ crucis mactandi atq; immolandi, quem
admodum & Sacrificia omnia pecudum cruentata, quæ de Mes-
sia mortis genere populum Israeliticum commonesaciebant.
Quomodo & Serpens ille æneus à Moyse in deserto erectus seu
exaltatus, graphicè Christum crucifigendum præfigurabat,
ipso explicante Christo Joan. 3.

Sed de Agno Paschali prius videamus. Oportebat hunc
esse absq; maculâ, masculum, anniculum, & bonè habitum:
quippe quod æquum esset id quod Christum Mediatorem & ad-
vocatum præfiguraret, in suo genere esse perfectissimum. Ille
enim erat, & est, monstrante Baptistâ, Agnus ille Dei qui
tollit peccata mundi, Dei filius ab æterno, in tempore verò è
Maria Virgine homo factus, operâ Spiritus S. omnis macule
& peccati exors. Agnum Paschalem statotempore mactari &
immolari præcepit Deus: ut significaret Christum suo tempore
mactandum & immolandum. Nolim utiq; strepere anser in-
ter olores, & Theologorum Disputationibus me temerè immi-
scere, de Agno Paschali: num aliquam Sacrificij rationem
habuerit? puto tamen qualicunq; significatu locum relinquen-
dum veteri hymno, Victimæ Paschali laudes immolent
Christiani. Agnus redemit oves, Christus innocens Patri
reconciliavit peccatores. Christus enim in cruce pependit
victima & τὸ λύτρον pro totius mundi peccatis expiandis. Id
quod mox dilucidius adumbratur, quando Dominus jubet
Israëlitas sumere de sanguine Agni & ponere super utrumq;

postem, & in superliminaribus domorum, in quibus illum erant
commesturi. Et transibo, inquit Dominus, per terram Aegypti
nocte illa, percutiamq; omne primogenitum &c. Erit autem
sanguis vobis in signum in adibus in quibus eritis, & videbo
sanguinem & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens,
quando percussero Terram Aegypti. Quae verba tum finem
& usum, tum ipsam applicationem indicant. Scopus & usus
sanguinis Agni Paschalis fusi & ad postes liminariaq; domo-
rum affricati, erat Israëlitas servare à plaga imminente: sed
applicari & affricari eum ad postes & liminaria necesse erat.
Sic scopus & usus sanguinis Christi in arâ Crucis fusi, est ser-
vare nos à plaga aeterna mortis, id verò non fit, nisi instru-
mento fidei eum ad postes & liminaria cordium animorumq;
nostrarum affricemus: isq; aliter finis typicus Agni Paschalis
fuit, qui Israëlitas de mysterio redemptionis aeternae per Mes-
sam Christum adipiscenda commonefaceret. Ubiq; enim
Deus videt postes animorum Christi sanguine aspersos; ibi
transit, nec poenam infligit.

Eodem collimabat & alterum Christi à vitio Serpens
aeneus, qui describitur Numer. 21. unâ cum omnibus sacrifi-
ciorum Victimis, quarum coram altari fusus sanguis adum-
brabat atrocitatem peccati, quod non nisi sanguine filij Dei
in cruce mactandi expiari posset. Hac Christus discipulis
Emaunta euntibus explicabat à Moyse Prophetis & Psalmis
Luc. 24. O deplorandam recordiam nostram, qui peccato-
rum illecebris immersi, & veluti veterno consopiti, hac cum
perenni & assiduo lacrymarum fonte non recordamur!

Sed enim dicit, Scripturâ nimium proluxa & longa est:
Quis potest tot voluminibus evolvendis identidem incum-
bere? At verò mi homo, vide mihi obsecro etiam atq; etiam
florum manipulos, quos Christus, Paulus, aliq; Apostoli ex
amplissimo S. Scripturae horto decerpserunt, collegeruntq; &
veluti

veluti in fasciculos colligaverunt, quibus totum Evangelij & Redemptionis nostra mysterium nescio breviusne clariusne comprehendunt. Et imprimis quidem vide mihi illud Christi ad Nicodemum. Joan. 3. Sicut Moyses exaltavit Serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium Hominis: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Tum illud etiam Pauli Rom. 3. Omnes peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ Dei. Justificantur autem gratis, id est, ejus gratiâ, per redemptionem factam in Jesu Christo: Quem proposuit Deus ut esset placamentum, per fidem, in sanguine ipsius, ad declarandam Justitiam suam, per remissionem precedentium peccatorum. Verba equidem perpauca, sed immensos comprehendunt divitiarum Dei thesauros, & admirandum Justificationis mysterium totum continentia. Efficaciens Justificationis est Deus Pater, Causa meritoria est Dei filius homo factus, & sanguinem suum fundens. Materia subiecta est homo peccator. Forma est ipse justificandi actus, qui consistit in gratuitâ remissione peccatorum & imputatione justitiae Christi. Instrumentalis à parte Justificandi est Fides. Finis est Hominis peccatoris redemptio & Dei Justitia declaranda.

Gloriari merito de tanto Dei beneficio cum Apostolo possumus, qui inquit, Absit à me gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Imò possumus ipsi etiam Diabolo Morti & Inferno insultare cum eodem Paulo, dicente, Ubi tua ô mors victoria? Ubi tuum ô sepulchrum stimulus? Absorpta est mors ad victoriam. Quippe quod non jam amplius condemnatio sit ijs qui sunt in Christo Jesu, & quod Justificati ex fide pacem habeamus erga Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem etiam fide habuimus hunc aditum in

gratiam hanc per quem stamus & gloriamur sub spe glorie
Dei. Quidni enim? Christus cum adhuc peccatores essemus
pro nobis mortuus est: justificati igitur ejus sanguine, serva-
bimur nunc multo magis per eum ab ira. Nam si cum inimi-
ci essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filij ejus: mul-
to magis reconciliati servabimur per vitam ipsius. Neq; id so-
lum, verum etiam gloriamur in Deo, per Dominum nostrum
Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem assecuti su-
mus: cujus Spiritu Adoptionis seu Arrhabone accepto, clama-
mus Abba Pater, qui ipse Spiritus testatur una cum Spiritu
nostro nos esse filios Dei. Quod si filij: etiam haeredes: ha-
redes quidem Dei, cohaeredes autem Christi. Si itaq; Deus
pro nobis: quis contra nos? Is qui proprio filio non pepercit,
sed pro nobis omnibus tradidit eum: quomodo non etiam cum
eo omnia nobis gratificabitur? Quis intentabit crimina ad-
versus Electos Dei? Deus is est, qui justificat. Quis est qui
condemnet? Christus is est qui mortuus est, imò verò qui
etiam excitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam
postulat pro nobis. Quis nos separabit à charitate Christi?
num oppressio, num angustia, num persecutio, num fames, num
nuditas, num periculum, num gladius? Imò in his omnibus
plusquam victores sumus per eum qui dilexit nos. Nam mihi
persuasum est, neq; mortem neq; vitam, neq; angelos neq; prin-
cipatus, neq; potestates, neq; instantia neq; futura, neq; subli-
mitatem neq; profunditatem, neq; ullam rem aliam creatam,
posse nos separare à charitate Dei, qua est in Christo Jesu Do-
mino nostro. Atq; hac quidem vera est Gloriatio omnium ho-
minum verè Christianorum, salutem suam cum timore & tre-
more operantium: ne semel acceptà gratià excidant.

Quid verò Paulus citato loco ad Corinthios suos? Gloriatio
vestra, inquit, non est bona. Quare? Quia non expurga-
tis vetus fermentum. Est locus de Disciplinâ Ecclesiasticâ ad-
mini-

ministranda, cujus amussim & methodum exactissimam
Christus tradidit Matth. 18. Sed quia medio nititur univer-
sali: sequitur Applicatio ad omnes Christianorum ordines,
imò ad singula Christianorum Individua. Magistratus politi-
cus expurgat vetus fermentum, quando per administrationem
Justitiæ aufert malum de Israël. Ut præceptum est à Deo plu-
ribus in Locis Deuteronomij. v. g. 13. 17. 21. 22. 24. capitibus, &
alibi. Magistratus Ecclesiasticus expurgat vetus fermentum;
cum disciplinam exercet Ecclesiasticam, ad normam & amussim
à Christo præscriptam, exemplo insistens Paulino hujus lo-
ci: tum alijs multis nominibus, prædicando sermonem, instando
tempestivè intempestivè, arguendo, objurgando &c. & in-
summa, ministerium suum implendo. 2. Tim. 2. Paterfamilias
vetus fermentum expurgat, cum disciplinam tenet & colit
domesticam. Cujus præcepta tum in Deuteronomio, tum apud
Apost. Paulum leguntur epistolis ad Timoth. & Tit. Singuli
Christiani vetus fermentum expurgant, cum veterem homi-
nem exuunt & novum induunt. Ephes. 4. 20. & seqq. Coloss. 3. 5.
& seqq. qui quidem loci digni erant huc adscribi, si tantum
spatij superesset. In hac Sanctimonia palestrâ qui strenuè de-
judant, horum Gloriatio bona est, & si perseverârint ad finem,
salvi erunt. Quod si etiam ex imbecillitate lapsi fuerint: hoc
agant, ut, divinâ annuente gratiâ, per seriam penitentiam &
resipiscenciam mox cum Deo in gratiam redeant.

Qui verò ipsi sibi malitiosè conscientiam cauterio rese-
cant, cum cane ad vomitum & cum sue ad volutabrum cæni
redeunt, & rursus crucifigunt sibi metipsis Filium Dei, & ad
ignominiam exponunt: illis extimescenda est sententia
Authoris epistola ad Hebraeos cap. 6. quam utiq; à cervicibus
singulorum clementissimus Deus avertat.

Ergò quod reliquum est, ô fratres Christiani! salutem
nostram cum timore & tremore operemur. Phil. 2, 12. Cavea-
mus

mus ne gloriatio nostra sit non bona. Expurgemus in hoc Feste
Paschales omnes vetus fermentum, ut simus nova massa omnis
fermenti expertes, & Festum agitemus non fermento veteri,
nec fermento malitia & nequitia, sed non fermentatis pani-
bus Sinceritatis & Veritatis. Qui enim mortui sumus pec-
cato: quomodo adhuc vivemus in eo? Quotquot baptizati
sumus in Christum Jesum: in mortem ejus baptizati sumus.
Sepulti igitur sumus unà cum eo per Baptismum in mortem:
ut sicut excitatus est Christus ex mortuis in gloriam patris:
ita & nos in novâ vitâ ambulemus.

Quamobrem, Cives Academicos universos, & in his
maximè Studiosam juventam, ex officio, quo impraesentia-
rum fungor, admonéo & cohortor, ut hisce Ferijs Paschu-
libus diligenter sacros Ecclesia cœtus frequentent, Concionibus
sacris audiendâ intersint, Victima Paschali laudes, & sacros
hymnos immolent, vitamq; agant inculpatam, nec membra
sua sistant arma injustitia peccato, sed sistant se Deo ut ex
mortuis vivos, & membra sua arma justitia Deo, à commes-
sationibus & comotationibus, à clamoribus insolentibus, &
Studioso Adolescente, nedum Christiano, indignis abstineant.
Qui secus faxint: præterquam quod Deum graviter offend-
ent, nostram & R. Concilij severiorem pœnam non effugient.
P. P. Rostochij die 1. Aprilis, Anno 1621.



Concilium, culpam nullam volunt agnoscer
cert a se subijciant.

Plato lege sancivit, ut pueri usq^{ue} ad du
num vini usum prorsus ignorarent; Juvene
te & vini repletionem omnino abstinerent: q
ventutis habitum cavere oporteret. Athen
Solonis omnem ebrietatem improbabant, &
inebriasset: hunc morte mulctabant: quippe
ebriosus, & cuicumq^{ue} rei praefectus omnia sub
gium, sive curram, sive exercitum, sive quā
commissam. Nolite, inquit Gentium Doct
in quo est luxuria. Et Seneca. Quid t
factor in ore, tremor in corpore, qui promit
ta, cui mens alienatur, facies transformata
non linguam non manum continet, crescit
crudelitas servo, malignitas livido, omne v
prodit. Quid ad haec nostri Dnn. Stud
quiunt, non jam amplius labes sed laus e
virtus: propter quam nemo Studiosus sit p

De immanibus verò & Cyclopicis vocij
de quibus D. Augustinus, Quisquis amissa
insanā fuerit ebrietate prestratus, adversa
quos integros videre nequit, aut sermone l
ba emittit, & vana dicta componit, MAL
& BENE SIBI SONANS.

Tantum vociferans quantum no
Mille viri clamare solent, qui
Interrogati Stentores quid Claudiana ha
columnas rumpentia mereantur? Non pœna
eramus ebrij. Atqui Pittacus Mitylenæus, un
pientibus, temulentos, si quid deliquissent, a
curavit: ut formidine supplicij à vino pro
Imoajunt, sunt tonitrua illa nostra hilaritat



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart Serial No. TE263